



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

24. de nominibus numeralib[us] in diuinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

E P I T O M E

personas vel substantias. Quibus nominibus non diuersitatem voluit intelligi, sed singularitatem: noluit, vt non solum ibi vnitas intelligatur, ex eo quod dicitur vna essentia, sed Trinitas, ex eo quod dicuntur tres personæ. Idem Hilarius lib. 7. de Tri. ait dicēs: Dominus dicit, Qui me videt, videt & Patrem. Cùm hoc dicitur, excluditur singularitas, atque vnici, id est solitarij intelligentia. Nā nec solitarium sermo significat, & indifferentem tamen naturam professio docet. Vnum sunt enim neque vnus. Non itaque solitarius Filius est, nec singularis, nec dispar. Item *To. 4. Ambros. lib. de Fide. q. 122.*

Et sicut in Trinitate non est diuersitas, ita nec multiplicitas. Et ideo non dicendus multiplex, sed trinus & simplex. Nam dicit Ambros. lib. primo de Fide: Non multiplex esse potest quod indifferens est. Isidorus tamen vt dicit vnitatem in ea esse singularem, capiēdo singularem pro vna: ita dum dicit Trinitatē multiplicē, capit multiplicē pro trina. *lib. 5. Cap. 2. Cap. 2.*

Deus non dicitur multiplex.

DE NOMINIBVS NUMERALIBVS, & distinctionibus.

D I S T I N C T. Vigesimaquartæ
C A P. Primum.

Nomina numeralia non ponunt aliquid in Diuinis, sed remouent.

Quæritur quid significetur his nominibus, scilicet vnus vel vna, duo vel duæ, tres vel tria, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, distinctæ vel distinctio, cum dicitur vnus Deus, duæ personæ, vel plures, vel distinctæ, aut earum pluralitas, vel distinctio, ac trinitas. Videmur enim hoc dicentes numerorum quantitates & rerum multitudinem vel multiplicatam in Deo ponere.

Responsio.

Si diligenter præmissis authoritatū verbis intendimus, vt dictorum intelligentiam capiamus, magis videtur horum verborum vsus introductus ratione remouēdi atque excludendi à simplicitate deitatis quæ ibi non sunt, quàm ponēdi aliqua. Cum enim dicitur vnus Deus, pluralitas Deorum excluditur. Nec numeri quantitas in diuinitate ponitur, tanquam diceretur Deus est:

*Nomina
numerorū
& distinctio
dionum di
cūt in Deo
negationē.*

Lib. 1. cap. 2. Nec multi sunt vel plures dij. Vnde Ambrosius in lib. de Fide: Cum vnum dicimus Deum, vnitas excludit numerum Deorū: nec quantitas in Deo ponit, quia nec numerus nec quantitas ibi est. Similiter cum dicitur, Vnus est Pater, vel vnus est Filius, vel huiusmodi. Ratio dicti hæc est, quod non sunt multi Patres vel multi Filij: ita & de similibus.

Inter articulos Magistri vide 2. & 3. ex primo lib.

Item cum dicimus plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludi-

mus, nec diuersitatem nec multiplicatē ibi ponim⁹: quasi dicatur, sine solitudine ac singularitate personas confitemur: vt dicit Hilar. 4. de Trinit.

Ita cū dicimus tres personas, nomine ternarij non quantitātē numeri in Deo ponimus, vel aliquam diuersitatem, sed intelligentiam, nō ad alium, nisi ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum dirigendam significamus: vt sit huius dicti intelligentia, Tres personæ sunt, vel tres sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, id est, nec tantū Pater, nec tantū Filius, nec tantū Pater & Filius in deitate sunt, sed etiam Spiritus sanctus, & non alius ab iis. Similiter cū dicimus, Duo sunt Pater & Filius, non dualitatis quantitatem ibi ponimus: sed hoc significamus, quōd non est tantū Pater, nec tantū Filius, sed Pater & Filius: & hic non est ille. Ita cū dicimus, Pater & Filius sunt duæ personæ, hoc significamus quōd nō tantū Pater est persona, nec tantū Filius est persona: sed Pater est persona, & Fili⁹ est persona, & hæc nō est illa.

CAP. Secundum. Distinctio excludit confusionem in personis, similiter discretio.

CUm autē dicimus, distinctæ Personæ, vel distinctio in personis, confusionem atque permixtionē excludimus in personis, & hanc non esse illam significamus,

Cúmque addimus, distinctæ sunt personæ proprietatibus siue differētes proprietatibus, aliā esse hāc personā, & aliā illā suis proprietatibus significamus. Et cū dicimus, aliā & aliam, non diuersitatē vel alienationem ibi ponimus, sed confusionem Sabellianam excludimus. Et ita cū dicuntur discretæ personæ, vel discretio in personis, eandē intelligentiā facimus. Eodem enim modo accipitur discretio, quo distinctio. Cū verò dicitur Trinitas, id significari videtur quod significatur cū dicitur, Tres personæ: ut sicut non potest dici, Pater est tres personæ: ita non debet dici, Pater est Trinitas.

DE SIGNIFICATIONE HUIUS
nominis Persona, cū dicitur
pluraliter.

D I S T I N C T. Vigesimaquintæ

C A P. Primum.

*Personæ nomen significat essentiam
in supposito.*

Q Vum prædictum sit hoc nomen Persona dicere substantiā, cōsiderandū est quis sensus sit, dum dicitur, Tres personæ, vel alia persona Patris, alia, &c. Nā videmur plures essentias cōfiteri, & ita plures Deos. Si verò ibi essentiæ significationē nō tenet, alia est huius nominis ratio, cū dicitur,

G iij